



35.
 Q. D. B. V.

PINEAS ZELOTES

siue,
 DE

JVRE ZELOTARVM

IN GENTE HEBRÆA,

DISSERTATIO MORALIS,

QVAM

pro MAGISTRI Philosophiæ honoribus
 rite consequendis

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

P R Æ S I D E

IOH: FRANCISCO BVDDEO,

Philosoph. Moral. P. P.

Eruditorum Examini

A. D. V. Martii, A. M DC XCIV.

fiſtit

GEORGIVS FRIDER: Wille/ Colon. March.

Auctor.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
 STANNO STEGMANNIANO.

88

PINEAS ZELOTES

MARE ZELOTARVM

IN GENTE HERBATA

DISSERTATIO MORALIS

pro MAGISTRI Philosphie honoribus

IN ACADEMIA PRIDEMANA

P. R. E. S. I. D. E.

JOH. FRANCISCO BADDIO

Philosph. Moral. P. P.

Institutionibus

A. D. MDCCLXXII

GEORGIVS FRIDER. GILLI Colon. March.

Agg.

HALLÉ VMDENIENSIS
SALVATI STOMATI



Q. D. B. V.

§. I.



Uæ veterum anna-

les memorant, virtutum aut vitio-
rum exempla, cum hunc in finem
literarum monumentis consignata
sint, inde ut sibi omnes quod imiten-
tur capiant, inde foedum inceptu, fo-
dum exitu, quod vitent: expendere sane accuratius, & ad
legum, quæ recta a pravis discernunt, normam, exigere
cuncta quisque debet, ne externa virtutum aut criminum
illi illudat species. Haud ita arcessenda ex alto res est,
istud vt euincatur. Eidem nobis faciunt illustrium Viro-
rum, quos sublimior quædam vis egit, in sacris pandectis
celebrata facinora. Hac vero in exempla, quæ imitari
quilibet posset, trahere, nihil aliud profecto esset, quam
addere crimini stultitiam. Pineam Eleazari filium, nepotem
Aaronis, patrisque & aui in sacerdotali dignitate succes-
sorem, (vid. Iohannes Seldenus *de Succes. in Pontific.*
lib. 1. c. II.) vt istud quod autumavi innotescat, sistere hac
dissertatione, mecum constitui.

§. II. Præcipiti nimirum casu, in deteriora ruebat
Israëlis progenies, tot beneficiorum à Deo in se collato-
rum, sanctique, quod cum eo inierat federis immemor.
Bileami Vatis, si vera tradit Chronicon Samaritanum
apud Hottingerum *in Smegm. Orient. p. 444.* consilio ad-
ducti Midianitz, Israelitas, quos vi superare non pote-
rant,

rant, fraude dare in ruinam, decreuerunt. Consiliis respondebat euentus. Fœminarum quippe Midianitarum illecebris irretiti Israelitæ, impuris complexibus se commaculabant. Pluris esse formam, quam morum sanctitatem, vitio suo fauens, credidit libido. Iam in fœminarum gratiam, Midianitarum colere idola non dubitabant. Nec vero impetum perfidæ gentis retardare poterant tot summi Numinis beneficia. Quare tam immediabile malum, aspero indigebat remedio. Parum utique aberat, quin sanctissimi Numinis iram experirentur omnes. Delere certe improbos funditus decreuerat. Moses itaque & Aaron, & ceteri, qui aut veneno isto non erant afflati, aut quos criminum subierat pœnitentia, precibus lacrumisque Dei placabant iram. Interim vir princeps ex tribu Simeonis, Simri vocant sacri annales, vt improbitate superaret omnes, Midianiticam virginem, claro itidem genere ortam, secum trahit, spectante & indignante Mose ceteroque populo, latebras querit, seque abdit, improbissimæ cupiditati litaturus. Non poterat ferre rei fœditatem Pineas, ira accensus flagransque & hasta armatus sequitur virum, Venerisque lacris operantem, cum fœmina, cui profanare pudorem, res adeo leuis visa fuerat, contrucidauit.

§. III. Et istud quidem Pineæ fortissimum facinus adeo non displicuit Deo, vt remunerauerit quoque, dignitatemque sacerdotalem penes eius gentem esse voluerit. Quos vero sequentia tulere secula Hebræi, generosum Pineæ animum adeo admirati sunt, vt exemplo huic legis inesse vim fuerint arbitrati, simulque diuinitus approbari crediderint, istud zelotarum ius, quod excogitauerant ipsi. Ego vero ita arbitror, maxima hic opus esse cautione, ne temere quod sibi magistratus merito vendi-

can,

cat, alios puniendi ius, quibusuis permittere, hominum-
que vitam quamplurimis exponere periculis videamur.
Quare ad moralis philosophiæ leges, naturalisque lumi-
nis, quo recta prauaque diiudicantur, simplicissima ele-
menta, reuocare rem omnem operæ erit pretium.

§. IV. Homini priuato, nihil iuris esse in alterius
vitam, primæ notissimæque naturalis iuris regulæ omnes
edocent. *Hoc sic imbuti sumus, inquit alicubi Chryso-
stomus, ut cum homicidium vetaret Deus, non addiderit ideo
vetari, quia malum est, sed hoc, quasi natura mentibus nostris
anticipatum, prætermiserit.*

§. V. Enim vero de hoc ipso paulo accuratius nobis
est dispiciendum. Et initio quidem si in statu, quem phi-
losophi supponunt, naturali hominem spectemus, præter-
quam quod neminem lædendum esse manifesta ratio di-
ctitat, ipsa quoque omnium æqualitas, quæ hunc statum
comitatur, id quod diximus satis euincit. Nemo enim
per naturam alteri subiectus est: nemo alium sibi subie-
ctum habet. Rationem addit Hobbesius: *Æquales sunt,
qui equalia contra se inuicem possunt. At qui maxima
possunt, nimirum occidere, equalia possunt. Sunt igitur
omnes homines natura inter se æquales.* Sed aliis præ-
stantioribusque argumentis idem adstruit illustris Domi-
nus Pufendorfius, quorum summa legi potest *lib. II. de
Dff. Hom. & Ciu. c. VII. vid. Hobbesius de Ciu. c. I. §. III.*

§. VI. Hinc ergo, si recte ponamus calculum, pa-
lam est, nemini naturaliter ius esse in alterius vitam,
modo necessaria sui defensio ei tale quid non concedat.
Hanc vero eadem naturalis æqualitas non tam permittit,
quam omnibus præcipit. Prius enim eam tollit, qui al-
terum lædit, simulque illi quem læsit, facultatem dedit,
ea agendi quæ perpetrauerat ipse. Fertur sane unusquis-

que ad appetendum istud quod sibi bonum, & auersandum quod malum est. Nihil itaque magis rationi est conueniens, quam ut morti doloribusque, proprium corpus pariter ac membra eripiat, seque adeo conseruet. Talia igitur qui alteri inferre conatur, cum ad hoc nullum per naturam ius habeat, ut similia, qui inuaditur pro sui defensione agat, expectare utique debet. Prudentiæ quidem erit, vim ac machinationes inuasoris, pro viribus declinare, aut si lacesitus, expedire aliter salutem nequeat, aut in tuto collocare, quis ei vitio vertet, si extrematentet. Quin licet vel maxime vitam inuasor non impetat, pro corporis sanitate, pro rebus retinendis, ad extrema progredi licebit, præsertim quamdiu metuendum sit, cum iniuriarum non facturum finem, aut a minoribus ad maiora transiturum. Qui enim lacescit alterum, nec tamen poenitentiae signa edit, hoc ipso se eius hostem profiteretur, alterique iterum dat licentiam ea faciendi, quæ facere erga hostem par est. vid. Dominus Pufendorfus *lib. II. c. V. de I. N. & G. §. 3.* A stultitia autem & ignauia parum abest, qui hosti hostilia exercenti parcie, adeoque iniurias aliorum fert, quas ferre non tenebatur, idque eo magis, quod quilibet in statu naturali, ex proprio arbitrio de medijs definire possit, quæ ad vitæ membrorumque conseruationem sunt necessaria.

§. VII. Ad defensionem igitur necessariam, in statu naturali interficere alium licet. Sed inde non consequitur, quod idem liceat ad poenam. Namque poenis in hoc statu locus non est. Equidem cum in omni delicto, quo leges quibus aliis hominibus obstringimur, violantur, præter defectum siue distantiam a lege, damnum alteri per istud aut directe aut indirecte illatum, esse intelligatur: vnumquemque ad damnum istud pensandum, lege
nasu

naturali teneri constat. Quin & cautionem de non offendendo in posterum dare debet: quam si denegauerit, læsus, quocunque demum poterit modo, rite liciteque securitati suæ consulat. Ista verò cautionis exactio belli potius, quam pœnæ rationem habet. Ast ipsum defectum siue distantiam a lege, nemo hominum in statu naturali punire poterit, cum nemo altero sit superior.

§. VIII. Ast hic dissentire video Hugonem Grotium, cuius sententiam, vel ideo expendere diligentius instituti ratio suadet, quod Pineam hoc nomine, licite hanc cædem perpetrasse contendit, quia puniendi alios facultatem, in statu naturali omnibus competentem, usurpauerit. Triplicem vero pœnarum esse finem contendit. *lib. II. de I. B. ac P. c. XX. §. 6.* Respicitur namque in iis utilitas, aut eius qui peccauit, aut eius cuius intererat non peccatum esse, aut indistincte quorumlibet. Omnes quidem hosce fines, ita comparatos esse, ut in statu naturali, unusquisque alterum, propter eum punire possit, Vir incomparabilis arbitratur. Ast perperam.

§. IX. Primum enim finem quod attinet, si verbis quis corrigatur, cuius quidem hoc licitum esse, non adeo negauero, modo verba non duriora sint, quam ferre alter possit. Sed talis castigatio, non poterit vocari pœna. Sin duriora sint, non video, quare homo in libertate naturali viuens, non reponere æque dura possit. Parentum vero ac propinquorum castigationes seueriores, plane huc non pertinent, cum hæc jam aliquam saltem societatem præsupponant, per quam status mere naturalis, de quo hic sermo est, tollitur. Nihil ergo huc facit istud Lactantii: *Jubet Deus, ut manus nostras super minores semper habeamus, hoc est, ut peccantes eos assiduis verberibus corrigamus, ne amore inutili, & indulgentia nimia edu-*
centur

centur ad malum, & ad vitia nutriantur. Lib. VI. c. 19. Instit Div. Accedit quod de iis præcipue pœnis hic quaeratur quæ vitam homini eripiunt. Istud vero puniendi genus, quod ad alterius emendationem est comparatum, ipso non diffitente Hugone Grotio, ad mortem pertinere non potest. Sic enim non emendaretur, sed tolleretur alter, adeoque cessaret finis propositus. vid. Zieglerus *in Grotii l. c.*

§. X. Utilitas vero eius, ita de altero fine pergit Grotius, cuius intererat non peccatum esse, in eo sita est, ne post hoc tale quid patiatur, aut ab eodem, aut ab aliis. Hoc ipsum vero tribus obtineri modis potest, primum si tollatur, qui deliquit, deinde si vires nocendi ei adimantur, postremo si malo suo dedoceatur delinquere. Et ob hunc quidem finem omnibus in statu naturali alios punire, licitum esse pronuntiat. Hic vero si rem accuratius tecum expendas, deprehendes, bellum cum pœna miscere Grotium. Quando enim in statu naturali quisquam læditur, utique par est, non tantum ut illi satisfiat, sed & ut cautionem accipiat, ne in posterum tale quid illi sit metuendum, quam cautionem si denegauerit lædens quocunque poterit modo, securitati suæ recte consulat, siue nocendi illi adimat vires, siue malo quodam illato tale quid committere dedoceat, siue denique prorsus e medio tollat. Sed hanc violentam cautionis exactionem, belli potius, quam pœnæ promereri titulum, iam euicimus.

§. XI. Dum itaque Cicero *lib. II. de Inuent.* ad eas leges, quæ nobis innatæ sunt, vindicationem refert, hancque nihil aliud esse autumat, quam dum vim ac contumeliam defendendo aut ulciscendo propulsamus a nobis ac nostris, qui nobis cari esse debent, & per quam peccata

cata purimus, aut perperam existimavit, aut puniendi voce secus quam fieri solet, usus est. Cujacius quidem *ad l. 3. ff. de iust. & iur.* observante Zieglero, ad *Grot. l. c.* Ciceronem talem ultionem intelligere autumat, quæ fiat in continenti. Et vero nec ipse diffiteor, si homo ira aut dolore concitatus, defensionis limites transilierit, eum laessenti iniuriam non facere, ut ut imprudentius & immoderate egisse censeatur. Ast talis ultio priuata, ut ut excusari quodammodo possit, non tamen poterit vocari poena. Quod denique Mithridates apud Iustinum *lib. 28.* dixit, pro ultione in latronem omnes licite ferrum stringere, id ita capio, quod omnibus liceat, in latronem ceu hostem publicum, hostilia exercere, ast inde minime omnibus concessum est eundem punire.

§. XII. Et ita profecto in reliquis, quæ a Grotio afferuntur exemplis, sese res habet. Aut enim quos propriatis reputavit, publicis annu erandi erunt personis, penes quas in societate civili, ius puniendi esse deinceps comprobabitur, aut quæ illis tribuitur ultio, belli potius quam poenæ nomen titulumque promeretur. Male ergo huc trahitur Samson, qui & summam populi Israelitici tenuit, & Palæstinos a quibus læsus fuerat, non puniuit, sed iusta de causa cum illis bellum gessit. Et hoc nomine laudare Maccabaos omnino potuit Ambrosius *lib. I. de offic. c. 40.* quod etiam Sabbatho cadem innocentium fratrum suorum fuerint ulti. Nimirum bellicum hoc eis permittebatur, minime autem facultas alios puniendi.

§. XIII. Frustra igitur asseritur, societatibus constitutis hanc libertatem naturalem alios puniendi, priuatis hominibus fuisse ademptam. Quam enim non habuerunt, ea non potuit illis adimi. Quo pacto vero in societatibus hæc potestas puniendi oriatur, quæ in statu naturali non fuit, deinceps edisseram. Iam istud addo, frustra

B

asse-

asserit, quod aliquando libertas illa naturalis, priuatis potestatem puniendi deferens, etiam postquam homines in societates coaluerunt, sese exerat. Id vero ex haecenus dictis liquet.

§. XIV. Nec exempla a Grotio allata, ut secus sentiam, a me impetrabunt. Etenim in locis desertis, aut vbi nulla iudicia sunt, vnumquemlibet habere facultatem puniendi alterum, id quidem est, quod a nobis negatur. Caesar quod piratas supplicio affecerit, id, si priuata fecit autoritate, ex belli potius iure, quam facultate puniendi profluxit. Nec alium quam belli titulum promerentur, quæ apud Germanos olim usitata fuerunt, aut hodiernum apud multas gentes vigent certamina singularia. Nullum inde ius puniendi elucescit. Denique quod de vindice sanguinis in gente Hebræa dicitur, ne quicquam istud euincit, quod cupit Grotius. Namque is puniebat alterum, non priuata sed publica auctoritate adductus, quin lege præmunitus. Maimonides hic ad legem diuinam prouocat: מצוה בגואל הרוג להרוג הרוצח שנ' גואל הרוג הוא ימית את הרוצח. *Præceptum est de vindice sanguinis, ut is homicidam interficiat, iuxta illud, quod dicitur; Vindex sanguinis morte plectat homicidam Hal. Rotzach. Cap. I.* Quin Grotius ipse propria vineta cædit, dum legem hoc permisisse auctumat. Si lex permisit, ergo priuatus nullum ius puniendi alium habuit, istaque adeo facultas ex libertate naturali non poterat deduci.

§. XV. Denique & omnium interest, vt, qui alium læsit, puniatur. Et hunc tertium esse poenarum finem docet Hugo Grotius. Tollendus igitur aliquando est, aut viribus spoliandus homo improbus, ne, qui vni nocuit, aliis quoque noceat, aut acriori certe poena castigandus, ne alii
im-

impunitate illecti, ceteris omnibus molestias pro lubitu creent. Et huius quoque iuris potestas, inquit Grotius, naturaliter penes vnumquemque est. Id quod quo pacto cum statu naturali consistere queat, plane non intelligo. Namque profecto, qui ideo in alterum sibi quid licere putat, vt ceteri, pœna eius deterreantur a criminibus, palam se superiorem esse hoc ipso profitetur, naturalemque adeo æqualitatem tollit. Equidem coercere quis alium in statu naturali potest, ne in posterum aut sibi aut aliis noceat, præsertim si cautionem de non lædendo præstare nolit, ast istud per modum belli, non per modum pœnæ fieri, sæpius dictum est.

§. XVI. Quod vero Plutarchus, in *Præc. Polit.* aumat, virum bonum a natura magistratum designari, & quidem perpetuum, id secus quam par est, quandoque accipitur. Enimvero, quo quis & sapientior & melior est, eo quoque esse digniorem ut ceteris præsit, non diffiteor. Sed digniorem dum natura aliquem, magisque ad imperium idoneum facit, hoc ipso non statim imperium ipsum confert. Et quis non ausurus esset imperare, cum nemo facile reperiretur, qui non digniorem se ceteris præstantioremque esse crederet. Nec aliter profecto capere possum, quæ ex Tullio atque Euripide hunc in finem recitavit Grotius. Nimirum si digniorem quemque statim re ipsa in alios habere imperium existimauerint, oppido falluntur.

§. XVII. Cum igitur & hoc pacto facultatem alios puniendi in statu naturali homines non habuerint, non quoque potuerunt eandem amittere, cum in societates coalescerent: multo minus in societate, & quidem ciuili constituti, eandem iterum vsurpare, & quasi postliminio reuocare. Quæ cum satis hæctenus demonstrata sint, assentire utique doctissimo Viro nequeo, iudicium zeli

B 2

apud

apud Hebræos ysitatum, & ex Pineæ facinore ortum, ex naturali hac libertate, ita deducenti: *Sed sicut in ultione factum, modo diximus, ita & in hac ad exemplum punitio- ne, manent vestigia ac reliquæ prisci iuris, in iis locis at- que inter eas personas, quæ certis iudiciis non subsunt: ac præterea in quibusdam casibus exceptis. Sic Hebræorum mo- ribus Hebræus a Deo & Dei lege deficiens, aut Ducem se ad falsos cultus præbens, ilico a quouis homine poterat inter- fici. Iudicium Zeli id vocant Hebræi, quod a Phinea primo exercitum aiunt, & inde abiisse in morem.* Enimvero, quemcunque demum in finem aliquis puniatur, in statu naturali nemini licuit punire alterum, cum plane ibi exu- lauerint pœnæ. Adeoque nec Pineas, nec Matthatias in li- bris Maccabæorum celebratus, nec alius quisquam, talem facultatem, quæ in hoc statu penes neminem fuit, aut re- vocare, aut usurpare potuit.

§. XVIII. Iam itaque statum hominum socialem perlustremus, & suppeditaturusne ille quicquam sit, quod præsidio Pineæ esse possit, dispiciamus. Naturalem quip- pe statum tot comitantur incommoda, ut homines suæ saluti atque securitati aliter, quam per societates, & qui- dem ciuiles, consulere non potuerint. Præcipua vero & genuina causa, quare homines deserta naturali libertate, ad ciuitates constituendas descenderint, nulla alia fuit, quam ut præsidiis se firmarent, contra mala, quæ homini ab homine imminent. *Nam uti post Deum, inquit Illu- stris Dominus Pufendorfius, homo, homini plurimum pro- desse, ita & non minus obesse potest. Quare cum aduersus singula mala, quibus humanum genus insectatur, aliquid remedii, eiusdem solertia machinata sit: contra illa mala, quæ prauitas humana indolis sibi inuicem gaudet intenta- re, efficacissima, ex homine ipso medicina petenda fuit, con- iunctis*

iunctis in ciuitates hominibus, & summo imperio constituto.
Lib. VII. de I. N. & G. c. I. §. 7.

§. XIX. Etenim societas sine imperio, nihil prope differret, a multitudine hominum aut ferarum temere coeuntium: tantum abest, ut finis, quem sibi proposuerunt homines, possit sine imperio obtineri. Hæc vero in se complectitur potestatem ea omnia agendi, quæ ad ciuitatem conseruandam sunt necessaria. Adeoque & præscribere omnibus, quid agendum aut omittendum sit, ceteraque cuncta, quæ salus societatis requirit, ex arbitrio constituere is potest, cui rerum summam detulerunt ciues.

§. XX. Cum autem ciuitati quandoque conducatur, quin ad eius salutem prorsus necesse sit, ut pœnis coerceantur improbi, utique hac ipsa facultate pœnis afficiendi alios, eum, qui societati præest, instructum esse oportet. Coalescunt quippe homines in societatem, non tantum ut se contra aliorum, extra hanc societatem uiuentium, iniurias defendere possint: sed ut mutua ope tuti quoque sint, aduersus damna & iniurias, quæ ab hominibus in eadem societate uiuentibus inferri possunt, ac solent. Hic vero finis non per leges naturæ aut decreta Socratica atque Platonica, sicut Plutarchus putat *aduersus Colotem*, obtineri potest. Nec sufficit, si ingenii humani prauitatem, rectius nobiscum expendamus, ut mutuo inter se paciscantur, de iniuriis non inferendis: neque etiam, ut voluntas superioris illis innotescat. *Metu*, ut Quintilianus ait *lib. VII. c. VII. contineantur, qui ratione traduci ad meliora non possunt*. Quare metu pœnæ, & facultate eandem repræsentandi, opus est. Quæ cum tanta esse debeat, ut aperte maius malum sit, leges violasse, quam obseruasse,

vasse, quin se ad mortem civium extendat, dubitari plane nequit.

§. XXI. Sed vero cum in statu naturali, nemo hominum ius puniendi aut alium aut se ipsum habeat, (quæ enim sibi quis infert, cum inuito non accidant, poenæ nomen non promerentur) dubitari posset, quo pacto tale ius potuerit conferri imperanti, quod tamen singuli non habuerunt. Sed respondet Dominus Pufendorfius, quem admodum in naturalibus, ex commixtione plurium simplicium, provenire potest compositum quid, cui tales adsint qualitates, quæ in nullo simplicium, mixtionem ingredientium deprehendantur: ita & corpora moralia, ex pluribus hominibus constantia, aliquod ius habere posse, ex ipsa illa coniunctione resultans, quod formaliter, penes neminem singulorum fuit. *lib. VIII. de I. N. & G. c. III. §. I.*

§. XXII. Quæ cum ita sint, probare iterum nequeo, quæ Hugo Grotius *l. c. §. 3.* docet, per ipsam naturam determinatum non esse, cui homini ius poenas sumendi, competere debeat, nisi quod satis indicet natura, convenientissimum esse, ut id fiat ab eo, qui superior est, non tamen ut omnino demonstret, hoc esse necessarium. *Nisi, addit, vox superioris eo sumatur sensu, ut is, qui male egit, hoc ipso se quovis alio inferiorem censeatur fecisse.* De statu naturali si hæc intelligit Grotius, concedi nequeunt. Id quod supra est ostensum. Multo minus vera erunt, homines in societate civili viuentes, si spectes. Satis enim clare ratio docet, quod potestas alios puniendi, sit pars imperii, adeoque neminem posse ab alio poenam sumere, nisi qui in ipsum imperium habet. Priuatus vero si hoc sibi vendicauerit, societatis ordinem turbabit, non sine ingenti crimine, ea ad se rapiendo, quæ tantum penes superior
rem

rem siue imperantem esse, omnium intererat, & salus societatis iubebat. Non quidem natura determinat, quis poena exactor esse debeat, id tamen clare innuit eandem a nemine, nisi superiori posse decerni, aliisque, vt exigatur, mandari. Superior autem is nobis dicitur, qui rerum in societate summam tenet; secus vero hanc accipere vocem, nihil aliud certe est, quam sibi ipsi disponere anticipes flexus, vid. Zieglerus *in Grot. l. c.* Istud vero plane falsum est, quod idem Grotius censet, priuari hominem ita praestantia sua atque iure per crimina, vt cuilibet potestas detur, poenas de eo sumendi.

§. XXIII. Recte proinde negat Leonhardus Lessius *lib. II. de Iustitia & Iure cap. IX. Dub. III.* quod liceat priuato homini interficere maleficum. Rationes hunc in modum subducit: *Non licet interficere peccatores, nisi ob bonum Reipublicae, sicut non licet amputare membrum, nisi ob salutem corporis: atqui procuratio boni publici pertinet ad publicam potestatem, quae est in Principe vel Magistratu: ergo ad solum Magistratum pertinet, malefactores e medio tollere.* add. Augustinus *lib. de Civit. DEI cap. XVII. seqq.*

§. XXIV. Quoties autem priuatus hanc puniendi facultatem vsurpare videtur, id quidem aut inuito imperante facit, adeoque per rationes ante allatas gravissimi criminis reuserit, aut consentiente eo & permittente, & tum sane pro vicario imperantis & poena exactore haberi debet. Falluntur ergo, qui priuato homini, ius puniendi competere exinde colligunt, quod cuilibet Tyrannum interficere fas sit. Hinc Tyrannorum percussores, ornamentis maximis, honoribusque olim affectos fuisse contendunt. vid. Herodot. *lib. III.* Xiphilinus *in Augusto, & Alexander ab Alexandro lib. III. c. 26.* Sed vero, si per Tyran-

rannum cum intelligant, qui, cum iusto titulo regnum possideat, tyrannico autem more istud administret, minime ira, vt decet, sentiunt. Sæpius quippe inuidia, optimos quoque Principes hoc nomine tituloque insignit. At si vel maxime talia agat, quæ bonum Principem non decent, modo non palam in hostem degeneret, non tamen, ne integro quidem populo, multo minus, cuiuslibet priuato licet, obsequium erga illum exuere. Quot enim, quæso, periculis, quot incommodis, & Principes ipsi, & Respublicæ quoque, istud si concessum esset, exponerentur. Hobbesius istud addit, quod subditus ne iudicium quidem de Principis actionibus ferre, & sint ne prauæ an rectæ, salutare sibi an perniciosæ, decernere queat, certe non debeat. Quod si vero palam hostilem erga ciues suos animum induerit, tum vero nihil obstat, quo minus aut vniuersi aut singuli, ea agere possint, quæ necessaria defensio requirit, sed talis defensio non poterit vocari pœna. Si vero iniustus imperii inuasor, Tyranni nomine veniat, ille quamdiu nondum longa possessione, aut subsequenti pacto verum ius imperandi accepit, sed iniusta possidendi causa durat, quin hostis loco sit habendus, dubitari nequit. Præsertim si sola vi nitatur, hanc vi repellere, omnibus erit concessum. Sed istud iterum titulo belli continget. Quod si vero imperium, quod aut per vim aut malas artes inuasit, eo deinceps modo, qui verum decebat Principem, administrat, tum profecto aut ei vim inferre, aut detrectare obsequium, parum a crimine aberit. Certe suprema ista lex, Reipublicæ salus hoc iubet. Par enim est, ut tantisper pro legitimo Principe censeatur, cum nullus adsit, qui meliori iure, principatum sibi vindicare possit. Maxime vero si tacite in eiusmodi imperium consenserunt ciues, ad obsequium iis præstandum, utique omnes obstrin-

guntur. Hoc ipse comprobare videtur DEUS. Cæsaribus enim, qui tamen vi occupauerant Romanum imperium, obsequium exhibendum esse, diuinæ præcipiunt literæ. Percussores Iulii Cæsaris misere perierunt, fato nimirum eiusmodi hominibus proprio, obseruante Forstnero in *Tacit. Annal. l. 14. p. 26.* Ciceronem contra Cæsaris percussores laudantem falli arbitror. Nec decebat profecto, aut Thomam aut Caietanum, vt Ciceronis sententiam suo comprobarent calculo, ille quidem *II. Sentent. d. ult. qu. 2. art. 2.* hic *qu. 64. artic. 3.* Huc ergo cuncta redeunt, nefas esse, si priuatus homo, Principi, qui Tyranni nomine venit, vim inferat, nisi summe necessaria defensio eaque innocentis, hoc iubeat, aut per modum legitimi belli istud fiat. Pœnæ hic locus non est.

§. XXV. Nihilominus priuatorum iuri fauere videtur, ius vitæ & necis, quod maritis apud plurimas gentes in vxores fuit concessum. Apud Romanos, si vxor adulterium commisisset, aut bibisset vinum, fas fuisse marito occidere eam, testis est A. Gellius *N. A. lib. 10. c. 23.* add. Arnisaus *Doctr. Polit. lib. I. c. I.* & Bodinus *lib. I. de Republ. cap. III.* Pomponiam Græcinam superstitionis externæ ream, Plautii mariti iudicio permissam, eundemque prius instituto de capite famaue coniugis cognouisse, auctor est Cornelius Tacitus *Annal. XIII. 32.* Idem, apud Germanos, adulteriorum pœnam maritis permissam fuisse scribit, *de morib. Germanor. c. 19.* quod & de Gallis affirmat Cæsar *de Bello Gallico lib. VI.* Quæ quidem omnia, quo iure facta sint, disceptare, nostrum non est, uti nec istud, expediatne hoc societati ciuili. Saltem istud contendendo, hanc potestatem puniendi vxores, maritis publica auctoritate, vel legum ciuiliū concessione permissam, nihil aliud arguere, quam fuisse eos quasi vicarios Magi-

C

stra-

stratus, ac legis executores, minime autem ius puniendi alios per se habuisse. Recte Henricus Henniges ita censet, quod maritus hic constituatur a Republica executor adulterii, & sic non suo nomine, sed permissu & auctoritate publica occidit. *in observat. ad H. Grot. lib. II. de I. B. & P. c. XX. p. 887.* add. Boeclerus *ad lib. II. Grot. I. §. 14.*

§. XXVI. Et ita quoque sese res habet cum iure vitæ ac necis, quod Parentibus in liberos, apud quasdam gentes concessum fuit. De Romanis enim id testatur Dionysius Halicarnassensis *lib. II. Antiquit. Roman.* & Valerius Maximus *lib. V. cap. VIII.* add. Seneca *de Clementia lib. I. c. XV.* Apud Hebræos idem licuisse parentibus, contendit Bodinus *lib. I. de Republ. c. IV.* Ast perperam. Secus enim se rem habuisse ex *Deut. XXI. 18. seqq. constat.* Sed vero cum & istud permittentibus legibus civilibus, Parentibus licuerit, adeoque hi vices saltem gesserint magistratus, id quidem, quod probare hæc documenta debebant, neutiquam evincunt. Et ita licuit Philippo II. Hispaniarum Regi interficere filium, utat, si causas spectes, iniusta cæde fuerit peremptus. Conf. Fam. Strada *de Bello Belgico Dec. I. lib. VII. p. 378.* & Thuanus *lib. XLIII. ad A. 1568.* Non enim ex patriæ potestatis iure, sed publicæ, qua pollebat, auctoritatis, eundem punire potuit. Prorsus autem falluntur, qui ex consuetudinibus gentium, apud quas Parentibus, aut exponere, aut Diis offerre liberos fas erat, inferunt, quod ius habuerint, poena eisdem afficiendi. Namque & expositio ista pariter ac oblatio, & cum summo scelere erat coniuncta, & si vel maxime excusari posset, poenæ nomine neutiquam venire poterat. Neque enim, ut alia taceam, finis, quem poenæ præfixum sibi ac constitutum habent, hic poterat obtineri.

§. XXVII.

§. XXVII. Nec est, ut quis reponat, exinde tamen palam esse, quod priuatus aliquando in alterum ius vitæ & necis habeat, præter istud, quod necessaria defensio suppeditat, ut non possit appellari pœna. Id enim tum demum sequeretur, si ullo iuris aut honestatis titulo, non tam defendi, quam excusari saltem mores isti crudelissimi possent. Recte Lactantius talem liberorum oblationem tetram & execrabile humano generi facinus, dementiamque insanabilem vocat. *lib. 1. Institut. Div. c. XX.* Nec obstat quod liberorum expositio gentium prope omnium moribus fuerit comprobata. Tacitus enim *lib. V. Historiar.* de Judæis, ceu rem nouam & inusitatam retulit, memoriæque prodidit, quod necare quenquam ex gnatis, nefas putent. *conf. Lipsius ad b. l. Sacrificia vero humana, in quibus liberi a Parentibus offerebantur, tantum non ubique terrarum introduxerat dira gentilium superstitio. conf. Seldenus de Diis Syris Syntagm. I. cap. VI. pag. 167. & Elias Schedius de Diis Germanis Syngm. c. 32. pag. 401.* Enimvero Gentium mores ritusque, ut ego arbitror, ad iuris disceptationem, non quicquam faciunt, nihilque roboris habent. Jephtham vero filiam immolasse, quod pro stabilienda hac sententia afferri solet, nondum comprobatum est. Secus se rem habere haud contemnendis euinci potest argumentis. Et quis sibi persuadebit tale sacrificium in gente Hebræa fuisse toleratum? sed legantur qui ex instituto de voto Jephthæ commentati sunt, præcipue Ludouicus Capellus & Christianus Schottanus.

§. XXVIII. Rem susciperem infiniti laboris, si congerere & conuectare omnia documenta vellem, quibus euincere nonnulli cupiunt, puniendi aliosius quandoque esse penes priuatos. Ad quæ cum idem semper

regerendum sit, magnum utique omnes eius rei capiet
tædium. Quis vero nescit, potuisse olim Dominos inter-
ficere seruos? at quis dubitat, quod auctoritate a Republi-
ca concessa, minime autem propria, hoc fecerint. Quis
nescit interfici impune olim furem potuisse? ast tum de-
mum, si quis in extremo versatus fuerit vitæ periculo, ut
Cuiacius *in tit. Digest. de iust. & iure ad l. 3.* edisserit. Ita
vero & hodie istud licet. Quod enim ad bona saltem re-
cuperanda, idem concessum esse, nonnulli moralis disci-
plinæ Doctores, interque eos Leonhardus Lessius *lib. II. de
iustitia & iure c. IX. Dub. XI.* putant, in eo grauitè hallu-
cinantur, suæque in asserendo temeritatis poenas grauissi-
mas dederunt Ludouico Montaltio *in Litteris Prouinciali-
bus Epist. 14. p. 401.*

§. XXIX. Jam quid de Pinea Zelote pronuntian-
dum sit, haud difficulter apparet. Namque cum priua-
to homini, extra necessariæ defensionis causam, nihil in
alterius vitam liceat: Pineas vero non aliam quam priua-
tam personam sustinuerit; eundem grauitè peccasse cer-
tum est, nisi demonstretur, quod ius Cimri puniendi, illi
peculiariter datum concessumque sit, ut ita pro vicario,
vel executore sententiæ a superiore latæ, haberi queat.
Quod enim priuato, potestas puniendi alium, committi
quandoque a superiori possit, itidem iam euictum est.

§. XXX. Neque admitti profecto potest quod
B. Zieglerus putat *in Notis ad H. Grot. lib. II. cap. XX. §. 9.*
Pineam pro persona omnino priuata haberi non posse,
cum filius fuerit summi Pontificis, propter successionem
aliquando iudiciis politicis præficiendus. Ego enim ita
censeo, quod quilibet, penes quem non re ipsa imperium
est, pro persona priuata reputari debeat, adeoque nullam
imperii partem, sibi vendicare aut eandem exercere pos-
sit.

fit. Et quis vero Principis cuiusdam filio, ad quem successio sine dubio spectat, hanc vindicare potestatem, partes quasdam imperii exercendi, ausit? nisi qui palam imperantis majestatem improbo conatu, conuellere, in animum induxerit. Nec sine crimine istud audebit filius, nisi violenter occupare, quam rite expectare regnum, malit.

§. XXXI. Restat ergo ut dispiciamus, fueritne Pineæ a superiori potestas alium puniendi concessa. Lege quidem peculiari istud nec præceptum nec permissum erat. Moſen, penes quem certo modo, post Deum, summa rerum erat, hanc potestatem illi concessisse, asseri nequit, saltem luculento Scripturæ documento non probari. Ab ipso igitur Deo immediate hanc potestatem, illum accepisse, contendo.

§. XXXII. Habet quidem Deus in omnes gentes, in omnes totius orbis Respublicas imperium: adeoque si immediate, homini privatæ sortis, in quacunque demum is Republica viveret, potestatem partem quandam imperii exercendi deferret, licite sane is ea ageret, quæ aut præcepisset, aut concessisset Deus. In gente Hebræa autem, cum præter universale istud in omnes homines dominium, peculiare adhuc regimen accedat, palam est, quod modo etiam speciali Deus partem imperii exercendi, privatæ conditionis homini, concedere aut de mandare potuerit. Namque Moſes jussu Numinis Rempublicam Israelitarum formaturus, regiminis quendam modum constituit, qualem nullus unquam populus in orbe habuit, quique adeo nec Monarchiæ, nec Aristocratæ, nec alio quocunque nomine usitato poterat insigniri: sed qui Θεοκρατία, ut Josephus ait, peculiari quadam ratione debebat appellitari, *lib. II. contra Appionem* quasi tu eius-

modi ciuitatem dixeris, cuius præses rectorque solus Deus sit. Quæ enim cunque gerebantur, huius geri iudicio ac numine professus est. Et vero cum homines in naturali libertate viuentes, beneficiis alicuius adduci queant, vt imperio eius sese submittant, diuinum imperium merito elegit Israelis progenies, ob immensa beneficia a Deo sibi præstita. Unde & Deus ipse hæc rationes urget *Exod. XIX. 4. 5. Deut. IV. 20.* & populus vim earum agnoscit *Ex. XIX. 8.* Quemadmodum vero imperia cuncta, certis partibus innituntur, ita & hocce solenni pacto constitutum est *Exod. XX. 20.* Ipse Deus quoque omnes partes imperii immediate exercuit. Leges dedit. *Exod. XX. XXI. seqq.* confirmauit *Num. XVII. 8. 9.* Pœnas irrogauit *Leuit. XXIV. 10.* Magistratus instituit *Num. XI. 16. 17. 24.* Sacra ordinauit *Exod. XXV. seqq. Leuit. I. II. seqq.* Ministros sacros vocauit *Exod. XXVIII.* Férias indixit. *Exod. XXIII. 14.* Tributa imposuit *Exod. XXX. 13. Leuit. XXVII. 30.* conf. Celeberrimus Dominus Becmannus in *Meditat. Polit. Cap. XXIV. §. 8.*

§. XXXIII. De modo autem quo voluntas Dei ceu supremi Domini, potestatem puniendi Pineæ concedentis, innotuerit, si sollicitus sis, nullus plane dubito, quin istud factum sit, per internum motum atque instinctum: qui vt toti populo constaret, subsecuta est deinceps solennis declaratio. Deus enim factum Pineæ approbavit laudauitque. Et hoc pacto intelligendi sunt, qui ad facinus Pineæ defendendum asserunt, quod istud fuerit *heroicum* i. e. ex singulari afflatu atque impulsu Numinis profectum.

§. XXXIV. Quemadmodum igitur criminis non esset expers Pineas, si sine afflatu eiusmodi atque impulsu diuino, ius alium puniendi sibi vindicasset: ita sane si quis eius exemplum, cum tamen simili instinctu motuque diui-

diuino ad hoc non sit adductus, imitari voluerit, homicidii profecto pariter & ipse reus erit. Cum autem ceteri homines, non possint certi esse, sit ne talis modus reuera a Numine, an forte malitiose fictus, illorum magnopere interest ut manifesta diuinæ adprobationis requirant documenta. Quæ si proferri nequeant, nefas erit hoc Pineæ imitari facinus. Namque eiusmodi zelus, aperta & singulari Numinis adprobatione destitutus, si cuiuis permittatur, ciuilem non mediocriter perturbare ordinem, affectibusque impotentibus iustitiæ cuiusdam ac sanctitatis speciem præbere potest.

§. XXXV. Parum itaque aut a crimine aut ab imprudentia abfuerunt veteres Hebræi, dum permiserunt, vt hoc Pineæ facinus, legis vim indueret. Nimirum mittebant priuatis hominibus zelo ductis, aliis בשער בשער in ipso dum committebatur facinus momento, mortem inferre, quoties sanctitatem siue Numinis siue templi, siue gentis Hebræus aut circumciscus alius in Iudaismum cooptatus, ita violaret, vt palam & in publico, eam siue denegare siue spernere, speciebus aliquot facti atrocioribus, videretur. Crimina vero quæ Zelotis tale ius dederunt, sequentia enumerantur in Mischna & quidem *Cod. Sanhedrin. cap. IX. §. ult.*

והגונב את הקסוה והמקלל בקוסם
 והבועל את קנאין פוגעין בו כהן
 שישמש בטומאה אין לחיו והכהנים
 מביאין זותו לבד זלל פרחי כהונה
 מוציאין זותו חוץ לעזרה ומפציעין את
*Qui sacrilegium commiserat, (s. ex sacra
 suppellectili aliquid furatus erat) qui per idolum maledixe-
 rat (Numini) qui coitu se miscuerat cum foemina Aramæa.*
 (i.e.

(i. e. extera, seu plane gentili) Zelotis fas fuit incurrere in eum. Sacerdotem in immunditie sua sacra obeuntem, non erat necesse ut Sacerdotes ceteri in forum deducerent. Sed Sacerdotes, qui per atatem nondum ministerio sacro pares erant, eum extra atrium protrahabant, & cerebrum eius fustibus elidebant. Ipsum vero ius Zelotarum, qui בני אדם כשרין והמתקנאין קנאתו של מקום. Homines pii qui zelo Numinis accenderentur, vocabantur, in eo consistebat: Si videbant בפרהסיא palam, siue in publico, h. e. ut Hebræorum Magistri exponunt, præsentibus coram decem Israelitis, quempiam facinorū iam memoratorum aliquod comisurum, ipso eodem momento fas ei erat aggrediendo eum, aut verberare aut vulnere præpedire ac cohibere, aut etiam, cade, perseverantem e medio tollere. Nam si intermitteret, occidendus non erat, sine iudicio forensi. Idem iuris obtinuit, de Israelita Apostata, seu בעיקר הכופר, eo qui renuntiasset fundamento. i. e. ipsius Numinis sanctitatem veritatemque palam ac aperte negasset, legemque siue scriptam siue oralem, plane deseruisset. Ita rem omnem ex Hebræorum monumentis edisserit Joh. Seldenus lib. IV. de J. N. & G. iuxta discipl. Ebræor. c. IV. p. 503. seqq.

§. XXXVII, Et huius quidem iuris non aliud ex ipsorum Doctorum Hebræorum sententia, erat fundamentum, quam facinus istud Pineæ. Id edisserit pluribus Flavius Josephus lib. IV. c. VI. Histor. Judaic. & Philo lib. I. de Monarchia, & lib. I. de vita Mosis. Ante enim quam Pineas præclarum hoc ceteris præbuerat exemplum, ab hoc more alienam fuisse gentem Hebræam, ipse Philo innuit, ubi de eo qui lignatum exiuit in Sabbatho, verba facit. Conspectum eum a quibusdam fuisse, ait, qui statim eum occisuri erant, ira abrepti, ast represisse furo-

furorem, ἵνα μήτε ἰδιῶται, πρὸ ἀρχόντων κολάζειν τινα δυνῶσι
καὶ ταῦτ' ἀκριτον καὶ ἄλλως τὸ ἄνομον ἢν ἐμφανές,
ne scilicet viderentur, cum privati homines essent, in ali-
quem animadvertere, idque in dicta causa, priusquam
magistratus id decerneret, tametsi crimen esset manife-
stum. lib. 3. de vita Mosis. Solet huc quoque exemplum
Matthatiae referri, de quo vid. I. Maccab. II. 24. add. Jo-
sephus lib. XII. cap. 24.

§. XXXVIII. Diffiteri sane nequeo, quod impe-
rans, facultatem alios puniendi priuatis quibusdam con-
cedere queat: cum utique penes ipsum sit, per quos,
aut quocunque modo tum hanc tum alias imperii par-
tes exercere velit. Nec redargui adeo potest mos ille
Venetorum quem Dominicus a Soto refert lib. V. de
Iustit. & Iure qu. 1. art. 3. quo, singulis exulum faculta-
tem concedunt, alium exulem interficiendi, ita quidem ut
qui hoc fecit, vita ac libertate donetur. Idem quoque
apud quosdam Graeciae populos olim in more positum
fuisse aliis obseruatum est vid. Meursius in Comment. ad
Lycophron. c. 98. Quidni igitur & in gente Hebraea,
praesertim postquam Respublica haec Theocratica esse
desiit, liceret, imperanti hanc facultatem, certis limiti-
bus circumscriptam, priuatis quibusdam concedere?
Sed vero istud merito reprehenditur, quod istud ius Ze-
lotarum a Pinea deriuent, cum eius facinus ita fuerit
comparatum, ut plane in exemplum aut legem abire
nequeat. Praeterea, utut imperans, hoc ius puniendi
priuatis concedere possit, satius tamen est, si non con-
cedatur. Adeoque & rectius sibi consulissent Hebraei,
certe multis improbis hominibus occasionem, suas cu-
piditates, iuris huius obtentu excusandi, eripuissent,
D si

si tale Zelotarum ius aut non introduxissent aut non comprobassent. Namque huius iuris specie tituloque ornata immanissima scelera, virtutum superbiebant nomine: ut ipse pluribus hoc edisserit Josephus in suis de Bello Iudaico libris. Zelotarum nomine enim multos insignitos fuisse, ait, ὡς ἐπ' ἀγαθοῖς ἐπιτηδεύμασιν ἀλλ' ἔζηλώσαντες τὰ κάκιστα τῶν ἔργων καὶ ὑπερβαλλόμενοι, ac si optimis rebus studuissent, ἔ non pessima facinora, usque ad nequitiae summum Zelo affectassent. lib. IV. c. 12. καὶ τὸ, τὴν προσηγορίαν αὐτῶν, διὰ τῶν, ἐπ' ἀγαθῶν ζηλωμένων ἐπέθεσαν. Nomen sibi ab iis, qui id quod bonum est, Zelo affectabant, imposuere. Haud adeo absimiles fuerunt illis, qui & in Gallia Zelotarum sumpserunt nomen ut ambitio pessimæque fraudes eo tutius sub religionis titulo in scenam prodirent. vid. Thuanus lib. XL. circa init. ut & lib. XLV. Maxime vero ea ætate qua Hebræis, ut in sanctissimum Seruatorem & Apostolos, præsertim diuum Paulum, furorem suum eo tutius effunderent, aliquo iuris & honestatis titulo opus esset, documentis quam plurimis patuit, quam sæpe Zelotarum ius turpissimis flagitiosissimisque sceleribus sanctitatis ac pietatis speciem conciliare debuit.

§. XXXIX. Interim quilibet priuatus, modo non suæ hoc ipso litet cupiditati, aut limites a Magistratu præscriptos excedat, si in Republica, in qua tale ius viget, viuat, licite etiam & illæsa conscientia illud exercere poterit. Adeoque licet Christus Seruator noster, non alio iuris titulo negotiatores ac numularios ex templo Hierosolymitano eiicere potuisset, quam quem Zelotarum ius illi præbebat, recte quidem, & quod sanctum decebat Virum diuinumque Doctorem, egisset. vid. Matth.

Matth. XXI. 12. & Marc. XI. 11. Sed vero pro absoluto suo, quod ceu verus atque æternus Deus, in omnes homines habuit imperio, idem & longe maiora potuit, quod, licet cum cetera maiestate diuina, in statu, ut vocant Exinanitionis, quoad vsum plenum a se abesse voluerit: nihil tamen obstat, quo minus ista maiestas & hic sicut & in reliquis miraculis effulserit, splendidissimumque emiserit radium. Interim non diffiteor, receptum istud Zelotarum ius præpediuisse Phariseos, summosque Sacerdotes & ceteros Seruatoris hostes, ne hanc expulsionem, in occasionem furoris sui effundendi arripere potuerint.

§. XL. Ast vero, si quis in republica viuat, in qua tale quid publica auctoritate permissum non est, nefas erit summumque scelus, zeli cuiusdam obtentu sæuire in alium. Nec vero aut bona intentio, aut vehemencior, quo abreptus est, affectus, a crimine aut pœna illum immunem præstabit. Neque ipse Pineas excusari hoc pacto potuisset, siquidem facinus quod perpetravit pro crimine deberet reputari. Secus quidem Lessius, Hurtado, Molina, Caramuel, Baunius, ceterique moralis doctrinæ architecti, quos Jesuiticus ordo protulit, pronuntiarent. Hisce enim nihil tam turpe, nihil tam flagitiosum, quod non intentio bonum licitumque reddere possit. Quorum quidem decreta haud secus ac par est, perstrinxit Ludouicus Montaltius *in literis Prouincialibus Epist. VII. pag. 183. seqq.* Ita enim est profecto, ut bonam actionem praua quandoque viciat intentio, sic intentionem rectam actionis quandoque corrumpit prauitas, sed vero ut actio per se mala, per intentionem bona reddatur, id fieri per rerum actionum-

D 2

que

que moralium ipsam indolem, plane nequit. Recte
Augustinus: *contra Mend. c. VII.* Interest quidem pluri-
mum, qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat. Sed
ea qua constat esse peccata, nullo bona causa obtentu, nul-
lo quasi bono fine, nulla velut bona intentione, facienda
sunt. add. Wendrockius *ad Montalti: Epist. Prouinc.*
l. c. Nec affectus vehementior fuisset patrocini Pineæ.
Vtut enim verum quodammodo sit, quod Pindarus
ait, etiam sapientem per animi passiones in errorem
impelli, nihilo secius, cum nunquam tam vehementes
sint, vt voluntatis vim penitus extinguant, non quoque
impedient, quo minus actio, ad quam aliquem incita-
runt, illi imputari queat. Accedit quod vnusquisque
sibi imperium in affectus acquirere possit, & etiam ad
hoc ipsum teneatur. Quod si intermiserit, inde
culpa non liberabitur.

COROLLARIA.

SI quis membro quodam
aliter utatur, quam uti
primario natura homi-
nes voluit, is, si ex nuda ratione
rem æstimes, contra jus naturæ
minime peccat.

Levir

*Levir ex lege divina Deut
XXV. 5. ducere in uxorem vidu-
am fratris sui prole destitutam
tenebatur. Nec leges divinae,
quae secum pugnare videntur,
ita conciliari possunt, ut assera-
mus Levit. XVIII. 14. de matri-
monio, Deut. XXV. 5. autem de
concupitu saltem, Mosen verba
facere.*

*Mens humana certo ciborum
genere non potest commaculari.*

*Leges Ceremoniales pariter
ac forenses populi Hebraei, a mo-
ralibus differunt, & ad solum
populum Hebraeum spectant,
alias autem gentes neutiquam
obligant.*

Jure furens, hastâ Pinchas transfixit in ipso
Amplexu, vetitus quos male junxit amor.
Cujus ad exemplum nemo privatus id aufit,
Et sceleris vindex sumeret arma sibi.
Quod docuisse loci monitu, quem pagina sacra
Exhibet, Ingenio res erat apta Tuo.

*Doctis. Dn. Respond. gratulab.
scrib.*

SAMUEL STRYKIUS, J.C.
Acad. Director.

O factum meruit Pinchas à Numine
laudem,
Nec Tu disquirens id, sine laude facis.

Gratulab. scrib.

CHRISTIANUS THOMASIUS,
J.C. & P. P.

Per laudes vellem ire tuas, per docte, libensq;
Te canerem nervis omnibus ingenii.
Sed quid opus? laudat te haec dissertatio docta;
Ingenii optatum conferet haecce decus.

Nob. pariter & Per-Eximio Domino Autori-
Respondenti, Fautori suo honoratissimo,
gratulab. hisce

JOHANNES GEORGIUS SIMON,
J. U. D. Consiliar. Elector. Brandenburg.
& Antecessor.

Aemulus

AEmulus es WILLI, quia te mouet æmula virtus,
Doctissimorum vt æmuleris artes.

Auguror, accipies (nec enim spes æmula fallit)

Quod æmulando præmium mereris.

*Eruditissimo Candidato de Zelo Pineba disputa-
turo gratulabundus properauit*

CHRISTOPHORVS CELLARIVS,

P.P. & Decan.



Mos itaque industriæ tuæ atque laboris
fructus, Ornatisime Juuenis, expe-
ctare debebas. Nimirum saluber-
rimis doctrinis auidum hætenus indefesso stu-
dio exsatiasti pectus. Restabat itaque, ut præ-
mio condecoraretur honorisque insigni, tam
præstans virtus. Istud vero Halensis Tibi desti-
nauit Academia. Neque enim aliunde Tu
rectius istud expectare, nec in alium quam in
Te suum melius Musæ nostræ collocare bene-
ficio poterant. Quod enim nunc in con-
spectum Academiae huius deducis moralis do-
ctrinæ haud leue argumentum, dignum Te
esse satis demonstrat, ut Serenissimi Electoris
nostri munificentiam experiaris. Hoc ergo
ut & Tibi & nobis prospere feliciterque eve-
niat, DEUS faxit. Vale.

PRÆSES.
Mar-

MArchia TE genuit: sed Lipsia contulit omnem
Doctrinam, quam nos Littera scripta docet.
Differis egregiè Docto sub Præside, justum
Defendis Zelum, quem Pinehas habuit.
Hinc Te conjicimus Zelotem: sed quoque Zelum
Pensabit Cœlum & Prospera cuncta dabit.

*Clariss. Dn. Respondenti, Civi atque Amico Optimo
gratulab. adjecit*

M. LUBATH.

QVam vigili semper, Charissime Amice,
labore

Rimatus fueris docta reperta Sophûm;
Indicat hoc Specimen clarum quod Præside
claro

Proponis doctis non sine laude viris.
Euge bonum factum! dum Te labor unicus
hicce

Philosophumque simul Theiologumque
probat.


Perge; ita cingentur tua tempore tempora
lauro.


Ut quod agis Patriæ sit volupe atque Tibi.


*Ita Clarissimo Dno Respondenti, Amico suo singulariter
de amando animitus gratulatur*


M. S.

☞ (o) ☞










01 A 6541


3
ULB Halle
003 090 396


TA → OL

VD 17







28

35

Q. D. B. V.
S ZELOTES
 siue
 DE
ELOTARVM
TE HEBRÆA,
ATIO MORALIS,
 QVAM
 RI Philosophiæ honoribus
 e consequendis
 MIA FRIDERICIANA
 R Æ S I D E
CISCO BVDDDEO,
 ph. Moral. P. P.
 ditorum Examine
 Martis, A. M DC XCIV.
 fistit
 DER: Wille/ Colon. March.
 Auctor.
 MAGDEBURGICÆ,
 STEGMANNIANO.